




AB

152 826

Handwritten text, possibly a title or author name, in pencil or light ink.

Handwritten text, possibly a date or location, in pencil or light ink.



ORATIO
VALEDICTO-
RIA

à
Jordano Bruno Nolano D.
habita,

AD AMPLISSIMOS
ET CLARISSIMOS PRO-
fessores, atq; auditores in Aca-
demia VVitebergenſi.

Anno
M. D. LXXXVIII.
viii. Martij.

Typis Zachariae Cratonis.

HB-NS2826



L39



ORATIO.



DE SOLIS claritate, qui est sensibile
 illustrissimū (Amplissime D. Rector,
 ill. DD. BB. Doctores celeberrimi,
 atq; Professores, cæteriꝫ nobilissimi
 & doctissimi auditores,) De vniuersi
 magnitudine quod est omni ratione dictante maxi-
 mum, De magnificentia Dei quam ipsa natura voci-
 ferante iudicamus infinitam, quis non temerè (ut-
 potè de rebus per se manifestis) verba facere vide-
 bitur? Numquid voces quæ notæ & signa quædam
 sunt rerum, & earum quæ vel natura inditæ, vel vsu
 conquistæ sunt, notionum, plus indicare quam ipsæ
 significatorum præsentia & euidencia valebunt?
 Quale igitur ego opere præcium facio, vbi Sophiæ
 laudes adorsus, tenebricosa meorum verborum spes-
 cie ad tantæ lucis fulgorē indicandum, nervos inten-
 dere inueniar? Verumtamen vos mihi condonatu-
 ros spero, quando quidem ita in more positum esse
 videtur, vt manifestissima dicendo obscuremus, dū
 de ineffabilibus effando exercemur, & utcunq; bal-
 butiendo tempus insumimus. Laudabo illam,
 si qua tamen laus esse potest, vbi sicut conceptus
 (cui tanta maiestas affulserit) rei celsitudine & am-
 plitudine longe est inferior & angustior: ita & verba

ad tantum explicandum quantum mentis oculis potui
exhaurire, mirum inmodum eò subdeficiunt am-
plius quo etiam ordinatio, & ferè omnibus comu-
ni sermonis lepore destituor. Attamen absit à me
malle ingratum silendo, quàm illepidissimum dicen-
do iudicari.

Cùm tres Deæ in Ida monte Paridi iudicandæ
obijcerentur, vt illarum pulchrior aurei pomi dono
comprobaretur, coram tribus illis in ordine disposi-
tis, erat ille certè ambiguus, neq; quo se applicaret
satis nouerat, dum visus oculorum, & cordis affecto
in omnes partes æqualiter distraherentur. Hic, post-
quam aliquandiu stupore attonitus hesisset, Omnes
(inquit) atq; singulæ dignissimæ sunt vt vincant. O
me fœlicem, ô fortunatum iudicium meum, si vel
tres Deæ essent vnum numen, vel vnum pomum es-
sent tria poma. En hîc maiestatem non sine pulchri-
tudine & sapientia, hîc sapientiã cui nulla deest maie-
stas, & pulchritudo, hîc pulchritudo nõ absq; sapien-
tia & maiestate. Auertite, auertite oculos vestros à
me, quia dispereo. Non poterò vnâ (ô Mercuri) præ-
alijs probare, nisi vnâ extra alias inspexero. Præ-
sente igitur primò Iouis coniuge, o maiestas (inquit)
admirabilis, vt regalis & venerabilis effulget, a deoq;
verè digna Ioue: hac celsitudine, hac diuinitate quid
oculis meis optabilius? Iam certò scio hanc mihi
cæteris

bs s A

cæteris omnibus anteferendam. Atquæ (ait Mercurius) & alias oportet examinare. Adest ergo Minerva. o cœlum, ô maria (inquit) qualis virgo hæc? quæ formidanda claritas, simul & amanda pulchritudo? qui oculi? ô æternitas, quæ facies? qui splendor corporis huius? Quid est natura? Iam absit à me ut aliquid amplius mihi probetur, & aduersus tantam suæcem mihi sententiam ferre contingat. Porrò (dicit Mercurius) considerata adhuc tertia. Qua coram adestante, Iuppiter (ait) monstrifice, quod spectaculum? quæ excessiua pulchritudo, quæ me obligans, vinciens, adstringens, comprimens & absumens voluptas? tuetur suaue quiddam, iocundum, & blandum, etiam arrisit. Nil ergo aliud Mercuri agendum restat? Omnes (ait ille) vidisti & examinasti. Profer ergo iudicium. At Paris. Pulchrum ergo donum, pulchrum pomum, pulchriori detur. Videtis (auditores) quemadmodum æquè omnes simul atq; sigillatim iudex iste probarit: cum hoc tamen accidit, quòd ei contigerit esse causa priorem, quæ fuit iudicij ordine posterior: quia singularum præsens aspectus memoriam pulchritudinis cæterarum absentium obliterabat.

Illud isthæc fabula notat (A) quod mihi & plerisque mortalium accidit, vbi de studio, Genio, fortuna, seu fato subeundo quæstio est.

A 3 tribuunt

tribuunt qui in potentias, diuitias, principat9, regna,
& imperia inhiant. Mineruæ qui consilium, pru-
dentiam, sapientiam, & intellectum rebus omnibus
anteponunt. Veneri qui amicitias, sodalitates, vi-
tæ tranquillitatem, pulchritudinem, iocunditates,
& voluptates amplexantur. In hac etenim mundi
scena etiã si hæc omnia atq; singula, omnibus atq;
singulis summopere placeant, fato nihil omni9 san-
ctum est ne possibile sit vt omnibus triadis huiusce
numinibus æquè inferuendo obsequamur, & æqua-
lem consequenter fauorem ab omnibus expecte-
mus. Vni non tribus, vnum non ternum licebit stu-
dij aureum pomum (nempe cordis affectum) non
perperam consecrare.

Meminerint ergo Parides suæ Veneris, quod
vultu sidereo, hominum diuumq; voluptas, nubila
discutiat. Efferant alij Iunonem, quæ cum Ioue
maximo moderatur vniuersum. Ego uerò quale
mihi lumen & numen affulserit prædicabo. Quid
autem prædicabo? Ipsiusné nudum vidi quippiam?
Num faciem, frontem, os, genas, oculos subfura-
to quodam oculi iactu quantulumcunq; inspexi?
Forsan oculus mortalis tantæ pulchritudinis cum
tanta maiestate coniunctæ (attentius intuendo) cla-
ritatem ferre potuit vniquam? Altitudinis firma-
mentum pulchritudo eius, species cœli in visione
gloriæ

mundi

ε Α

gloriæ sol in conspectu adnuncians, vas admirabile;
opus excelsi: in meridiano exurit terram & in con-
spectu ardoris eius quis poterit sustinere? Triplici-
ter Sol exurens montes, radios igneos exufflans &
refulgens, radijs suis obcæcat oculos. Hæc cum me-
toruo, minaci & dedignabundo vultu, quo non Ve-
nerem sed Mineruam agnoscerem, tueretur, in eo
maximè me deuinxit, in eo tantò magis me in sui de-
siderium & amorem adtraxit: nam quod Venus ad-
blandiendo facit, illa minimè omnium adblandien-
do perficit. At cur (inquies) morosa hæc virgo?
Quia (inquã) sapientia se non adeò facile, neq; effu-
sè communicat vt diuitiæ & voluptates. Non sunt,
non sunt neq; fuere tot veri philosophi quam multi
extant & extitere imperatores atq; principes, non
tam multis Mineruam vel indutam & armatam vi-
disse licuit quam multis etiam nudas Venerem &
Iunonem. Paris ille si vidit, non certè inspexit, ocu-
los non affixit. Hanc videre est cæcum fieri, per
hanc sapere est stultum esse. Aiunt Thyresiam pro-
inspecta nuda Minerua cæcum esse factum. Quis
hac contemplata, cætera videre non contemnat?
Ego verò illam vidi, an vidisse somniaui? Vidi, si ta-
men videndo sensum & lumen oculorum nò amisi.
Vidi; si tamen vidi, & non perij. Illam attentiore
meditatione oculis apprehendere, est mori, est exuna-
rire. Non videbit me homo & viuet, Iam

slidiam ergo silentēs de ijs quæ vix Mercuriorum,
& nuntiorum Dei voces valerent enucleare, ad eius
tantummodò circumstantias, & visui oculorum nos-
trorum magis appositā indumenta, & ornamenta
describenda deveniamus. Celside horribili quo-
dam aspectu præfulgida erat illa armata, quæ vultū
virginalem vsq; adeò suavisimè inumbrabat. Sic
enim numquam inermis est ille, cui ipsam obtige-
rit adhsistere, ad eventus fortunæ vel consilio retun-
dendos, vel patientia superandos: Dum enim ni-
hil aliud est quam militia vita hominis super terram,
hæc est illa quæ sceleratorū evertit improbitatem,
audaciam comprimit, & consilia dissipat. Sic
Ægeon cum cæteris Gigantibus Iouem è regno de-
pellere conantem (monstrum propè inexpugna-
bile) è terra matre, quinquaginticipitem, immensam
flammā ex ore proflantem, & cui centum manus e-
rant, vt ensibus quinquaginta, adamantina claustra
transfodere confideret; totidemq; clypeis horribi-
lia Iouis fulgura contemneret, obtruncauit, & ipsi-
us pellem pectori suo gestamen adaptauit, partim
ad propulsanda pericula, partim etiam vt gloriosum
rerum gestarum monumentum. Manifestauit hæc
in eo bello Gigantum (qui super altissimos montes
conscendentes adeò ingentia saxa dicuntur in Deos
iaculati, vt ex ijs quæ in mare deciderant, insulæ pro-
ductæ



ducta habeatur) quemadmodum omnis humana
vis (quantacumq; sit illa) aduersus Deum veritatem in-
surgens, temeritas item, arrogantia, atq; præsum-
ptuosa filiorum terræ ignorantia, vana sit. Ex ijs e-
nim plurimos Mineruam nullo propè negocio tru-
cidasse, fama est. Et quia maximè omnium in bel-
lis gerendis omnis solertia mater necessaria est sapi-
entia, siuè aduersus visibiles, siuè aduersus inuisibiles
hostes illa capiantur, ideò belligerantum numen ha-
betur. Scutum clara transparentia, & multis angui-
bus circumtectū illi tribuitur, ea enim natura serpen-
tum est vt acutissimè cernant: ob id enim hortamur
esse prudentes vt serpentes (quia testante Mose hoc
animal est callidius cunctis terræ animantib;) nam
nisi vigilantia & prouidentia rebus vel longè prospi-
ciendis acumen præsidem militiae corroborant &
ornaurent, quid nam existimabimus reliquū esse præ-
sidij contra tot tantasq; myriades eorum, qui nos cir-
cumstant, & nobis insidiantur, hostium? Eius scutum
quod præ se ferret clarissimum & cristallinum,
(nempe diaphanum) effingitur, quia vbi sapientis
veritas & omnis vitæ ratio conspicua fuerit, certissi-
mum, atq; maximum aduersus fortunæ iniuriosæ
insultus, repugnaculum est citur. Datur illi cri-
stata galea, quia non solūm virib; & robore vti con-
ueat, sed etiam v. banitatis & moderationis cuius-

B

dam

illius

dam in rebus omnibus ornamento. Cassidi huius
Dea gallus galinaceus adaperitis alis in actu se ex-
cutientis inuilebat, tum quia pugnax sit volucer,
tum quia vigilantissimus est, & futurorum veluti
præsciens. Cuspide insignis hasta illi tribuitur, quia
tum ad propugnandum, tum ad expugnandum, &
debellandum, ingenij acumine opus est; tela huius
sunt rationes acuta, missiles, citæ, atq; animam sau-
ciantes. Ante ipsam quosdam aduersus intu gere
audentes facie Gorgonis perterrefaciens, in lapides
conuertit, quia adeo formidabilis & admirabilis est
sapientia, vt præ eius timore & admiratione hōines
hæreant & obstupescant. Quæ est ista quæ pro-
cedit quasi aurora consurgens? pulchra adeo? sic
electa? ita terribilis? Sapientia, Sophia, Minerva,
pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castorum
acies ordinata. Luna propter claram venustatem,
Sol propter celsam maiestatem, castra propter inuictissi-
simam fortitudinem. Solum habet folio Iouis
proximum iuxta illud Lyrici Poëtæ.

Proximos illi tamen occupauit

Pallas honores:

Et illud Prophætæ, Ego sapientia, in altissimis habito,
& thronus meus in columna nubis: nōne enim in re-
bus gerendis potentia, facilitate, & anthoritate Deo
simillimus est sapiens? In margine illius solij noctu-
am illi

am illi sacram insculptam vidi; quia vbique etiam
quæ cæteris sunt obicuriſſima vider ſapientia, iuxta illud. Tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox
ſicut dies illuminabitur, & non eſt occultatum os
os meum tibi, quod feciſti occultum. In campo
verò ſolij, Vulcani opera, mirabilis habebatur de-
ſcriptio vniuerſi, nempe operum Dei hystoria, &
eiſdem corporeum ſimulacrum. Vbi & hæc ver-
ba ſcripta erant. Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt
ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis ter-
rarum, virtutes elementorum, initium, conſumma-
tionem, & medietatem temporum, vicifſitudinum
permutationes, morum mutationes, anni curſus,
ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, iras
beſtiarum, vim ventorum, cogitationes hominum,
differentias virgultorum, virtutes radicum, & quæ-
cumque cæteris ſunt abſconſa & improuiſa. Eſt
enim in me ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vni-
cus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoir-
quinatus, certus, ſuauiſ, beneuolus, acutus, hu-
manus, benignus, affabilis, ſecurus, omnem ha-
bens virtutem, omnia proſpiciens. Iuxta ſc-
llum illud Palladium vidi quod tum ſignificatum,
tum vim inſinuabat, qua tandiù ciuitas incolumis,
tuta, & ab hoſtibus inexpugnabilis perſeuerat,
quandiù Palladiù inuiolatum in ea ſeruabitur. Hæc

est fulgor, & emanatio sapientiæ, quæ rebus publi-
cis administrandis adhistens potissimū est munimen-
tum. Iam ergo si de genere eius queritis: Iouis est filia, sine
matre, quia è Iouis capite parata est, vt figurat Orphi-
ci Poeta, & reuelatio confirmat prophetarum. Vn-
de illud. Ego ex ore altissimi prodii, Ego primoge-
nita ante omnem creaturam. E Iouis (inquam) ca-
pite nata. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio
quædam claritatis omnipotentis sincera, pura, illu-
stris, intemerata, recta, potentissima, superbenigna,
Deo pergrata, incomparabilis: pura, quia nihil in-
quinatum in eam incurrit; illustris, nam candor est
lucis æternæ; intemerata, quia speculum sine
macula maiestatis Dei; recta, quia imago bonitatis
illius; potentissima, quia cum sit vna, omnia potest,
& in se permanens omnia innouat; superbenigna,
per nationes enim sanctas se transfert, amicos Dei,
& prophetas constituit; Deo pergrata, quia nemi-
nem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inha-
bitant; incomparabilis, est namq; hæc speciosior
Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci
comparata inuenitur prior.

Talis ergo tantaq; cum sit, non est mirum si
omnes capiantur nedum forma, verum vel simili-
tudine formæ illius. Audite Salomonem. Præpo-
situm (inquit) illam regnis & sedibus, & diuitias nihil
esse

esse dixi in comparatione illius, non comparavi illi
lapidem preciosum, quoniam omne aurum in com-
paratione ipsius harena est exigua, & tanquam lutū.
æstimabitur argentum in conspectu illius: super salu-
tem & speciem & omnem pulchritudinem dilexi il-
lam, & proposui pro luce habere illam, quia inextin-
guibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia
bona pariter cum illa, quia omnium bonorum ma-
ter est. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo-
qui vsi sunt participes facti sunt amicitia Dei. Ergo
si amicorum omnia sunt communia, ditissimus est
sapiens. Quid uno dare tibi poterit quæ ab ista non
accipias? Quid est quod in Venere admiraris quod
in ista nequeas contemplari? Non est mediocris istius
pulchritudo, quia omnium dominus dilexit illam.
Hanc ergo amavi & exquisivi à iuventute mea, &
quæsiui sponsam mihi eam adsumere, & amator fa-
ctus sum formæ illius. Advi ergo dominum &
deprecatus sum illū & dixi ex totis præcordijs meis.
Deus patrum meorum, & domine misericordia, qui
fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti
hominem, vt dominaretur creaturæ quæ à te facta
est. Da mihi sedium tuarum adhsiterem sapientiã,
& ne l' me reprobare seruum tuum. Mitte illam de
coelis sanctis tuis, a sede magnitudinis tuæ, vt mecum
sit, vt mecum laboret, vt sciam quid desit mihi, &
quid

quid acceptum sit apud te; scit enim illa & intelligit,
& deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet
me in sua potentia.

Mittit certè illam Deus pater, mens illa fræcun-
dissima, mittit illam (clarissimi auditores) sed qua-
lè? non certe nisi qualis oculis mentis nostræ valeat
adaptari, in vmbra videlicet lucis. Sicut sole inac-
cessibili, inapprehensibiliq̄ue, & in infinita luce oc-
cultissimo perseverante in se ipso, per radiorū emis-
sionem eius peruadens claritas descendit ad nos, &
per omnia se communicat & diffundit. Vt enim
est primò essentia solis quæ sola mente vix attin-
gitur. Secundò est subsistentia solis, quæ proprium
orbem obtinens & absolutè consistens, viuit vbi
viuit. Tertio est adistentia solis seu operatio, quæ
omnia comprehendit & comprehenditur ab omni-
bus: haud aliter solem intelligentiæ tripliciter con-
siderare licet. Primò in essentia diuinitatis, secun-
do in substantia mundi, qui est imago illius, tertio in
lucè sensus eorum, quæ vitam, & cognitionem par-
ticipant. In primo gradu à Cabalisticis appellatur &
notatur per sephiroth cochma, in secundo ab Orphi-
cis theologis nominatur Pallas seu Minerva, in ter-
tio communiter nomine Sophiæ inscribitur. Pri-
mo non mittitur, non communicatur, non capitur,
non comprehenditur, quia est omnino à rebus ab-
soluta. Audi Iobum. Sapientia vbi inuenitur
quis

quis est locus intelligentiæ? Nescit homo precium
eius, nec inuenitur in terra suauiter uiuentium. A-
byssus dicit, non est in me, mare loquitur, non est
mecum. Abcondita est ab oculis omnium uiuen-
tium, volucres quoque cœli latet (id est numina,
astra ista, Deos istos igneos, & aqueos orbes, qui su-
per firmamento discurrunt, & per æthereum cam-
pum veluti volitando regularissimo, citissimoque
circuitu proprios orbes conficiunt.) Perditio &
Mors dixerunt auribus nostris audiuius famam
eius. Deus solus intelligit vias eius, & ipse no-
uit locum illius. Secundo modo manifestissima
est sapientia in superficie & corpore omnium crea-
turarum, ubiq; enim clamat, vndiq; auditur vox il-
lius: quid enim sunt omnia quæ videntur astra, ani-
malia, corpora, & illorum decor, nisi sapientiæ vo-
ces, & vestigia, opera diuinitatis quæ indicant a'ris-
simam prouidentiam, & in quibus tanquam in libro
clarissimo legitur historia diuinæ potētiæ, sapientiæ,
& bonitatis? Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta
sunt intellecta conspiciuntur: habes ergo scripturam.
Vis amplius audire concionatorum voces? Cœli e-
narrant gloriam Dei, Et opera manuum eius adnun-
ciat firmamentum, & non sunt loquax & sermo-
nes quorum non audiantur voces: in omnes aures,
in omnem terram exiit sonus eorum. Tertio mo-
do est insita spiritui nostro, sedet in puppi animæ no-
stræ,

stræ, præsidens gubernaculo nauis istius in turbatissimo mari huiusce seculi fluctuantis, vbi est etiam pharus spiritus alióqui in tenebris obambulantis. Itaq; tres domos habet diuina sapientia, primam in ædificatam, æternam, immò ipsam æternitatis sedem. Secundam primogenitam, quæ est iste mundus visibilis. Tertiam secundogenitam quæ est hominis anima. De prima dicit Iob. Dominus nouit locum illius. De secunda Salomon. Ego sapientia habito in excelsis, id est, in astris, in æthereo firmamento. De tertia subinfert, habito in consilio, & eruditus intersum cogitationibus, & deliciae meæ esse cum filiis hominum. Hic ergo tandem inter homines sapientia ædificauit sibi domum rationalem & intentionalem quæ est post mundum, vbi inspiciatur umbra primæ domus archetypæ & idealis, quæ est ante mundum, & imago secundæ sensibilis & naturalis, quæ est mundus.

Hic excidit sibi columnas septem, nempe septem artes, Grammaticen, Rhetoricen cum Poësi, Logicen, Mathesim, Physicam, Ethicam, Metaphysicam. Primam quæ regulet scripturam congruumq; sermonem, ad excolendam humanam conuersationem. Secundam quæ periuadendo & dissuadendo, laudando & vituperando, accusando & defendendo, animos & affectus hominũ frenet & moderetur.

Tertiam quæ intellectus humani operationes illas ternas, concipiendi, enunciandi, & argumentandi, dirigat & ad scopum adducat. Quartam quæ vsum & rationem circa numeros, magnitudines, pondera, & momenta rerum, combinando, & conferendo, Arithmetiam, Musicam, Geometriam, Picturam, Perspectiuam, Physionomiam, Astrologiam, Astronomiam, & species diuinationum plurimas inquirat, examinat, & perficit. Quintam quæ corporalium substantiarum naturam speculatur in causis, principijs, & elementis; quatenus quisq; seipsum contempletur in mundo, & mundum in seipso; unde perficitur agricultura, medicina, chimica, & secundum omnes suas species, Magia. Sextam quæ ordinem iustitiæ absolutæ, moderatiuæ, dispositiuæ, distributiuæ, & commutatiuæ applicet iuri Simpliciter, ad se ipsum, Oeconomico, ad dœsticos, Politico ad conciuēs, Ciuili, ad propriū principatum seu imperium, Ecclesiastico, ad cætum eiusdem fidei, Gentium ad homines vniuersos, Naturali, ad omnia quæ sunt in nobis & circa nos. Diuino, ad vltimum finem & primum efficientem qui est suprà nos. Septimam qua captantur rationes vniuersorū, quæ sunt principia & causæ, tum rerum omnium, tum & omnis cognitionis, quæ est ab ideis, substantijs separatis, & absolutis. Super hisce columnis septem

C sapien-

sapientia edificauit sibi domum inter homines.

Quæ domus, si ad memoriam hominum respiciamus, Primò apparuit apud Ægyptios, & Afsirios, in Chaldeis. Secundò apud Persas, in Magis, sub Zoroastre. Tertiò apud Indos, in Gynosophistis. Quartò apud Thraces simul atq; Lybicos, sub Orpheo, & Athlante. Quintò apud Græcos sub Thalete & reliquis Sapientibus. Sextò apud Italos sub Archita, Gorgia, Archimede, Empedocle, Lucretio. Septimò apud Germanos nostris seculis: vt certè cum Ioue & Imperio, cœlestisq; curiæ imagine, Minerva, hæc Sophia successiua quadam vicissitudine solum vertisse & sedes mutasse videatur.

Non credetis (ô doctissimi auditores) me falsò adulari vobis, si diuitias vestras penicius inspicere velitis vos qui inter alios oculatiores estis. Ex eo enim tempore quo ad vestrates deuolutum est imperium, plurima artium, & hominum ingenia inuenta sunt apud vos, quibus apud exterarum nationes nullum simile comperiebatur. Alberto magno Sueuo illi quis eodem tempore similis? An non ipso principe Aristotele cui indignissimè (vtpotè cuculatus) pro temporis illius conditione, fuit addictus, numeris multis extitit ille superior? Deus bone vbi illi Cusano adsimilandus, qui quantò maior est, tantò paucioribus est accessibilis. Huius ingenium si

præs-



presbiteralis amictus nō interturbasset, non Pythagorico par, sed Pythagorico longē superius agnoscerem, profiterer. Copernicum etiam qualem putatis esse nedum mathematicum, sed (quod est mirum) obiter physicum? Plus ille inuenitur intellexisse in duobus capitibus, quam Aristoteles, & omnes Peripatetici in vniuersa eorū, naturali contemplatione. Quam sublime ingenium promere credetis Palingenium in illo suo humi repente poemate? quam mira, supra vulgi opinionem verissima, protulit ille de dimensione vniuersi, substantia stellarū, natura lucis, orbium incolatu, & anima sphaerarum? An non praestant quingenta illius (inter tot vappas) carmina, Atticismo & Romanismo omnium qui sub vexillo Peripatetico compti, loquendo, & stultissimè sentiendo, militarunt? Medico Paracello, ad miraculum vsque medico, quis post Hyppocratem similis? Quantum putem vidisset ille sobrius, qui tantū potuit videre temulentus? Mitto plures qui Atticas & Ausonias musas aptissimè imitatisunt, & imitantur: & inter omnes Maiorem vnum (vobis plusquam satis notum) qui illas exæquando, plusquam imitatur. Mitto quod & Germania suos habet Theutos nouarum scripturarum inuentores, Salmonicas qui Iouis fulgura æmulantur, nouos Vulcanos, Prometheos, Dedalos, Esculapios, Endimiones, quorū minimo similem apud exterarum nationes

non inuenietis; vt cognoscatis quod hisce nostræ ætatis temporibus hîc sapientia ædificauit sibi domum. Et ne Reges Regibus inuideant, scientia illa astrorum, celsus nempè ille in cœlum principum oculus, qui in primarum gentium prioribus diuinæ sapientiæ vasis ex ortus est, iuxtà illud Manilij Poëtæ:

Regales animos primum dignata mouere

Proxima tangentes cœlo fastigia rerum,

Qui tantum nouere decus, primiq; per artem

Sideribus videre vagis pendente fata.

Si Ægyptij habuere principatu timendos, sacerdotio verendos, & sapientia admirandos illos Trimegistos, illos Hermetes, illos Mercurios, qui sub Eriichthonij nomine, Orionis, & Ophiulci insiti astris eâ ratione habentur. Græci eadem conditione suum Perseum Iouis filium, Chironem, & Herculem. Persæ Zoroastrem Battrianorum Regem. Mædi suum Gigem, & Saborem. Lybici vt olim suum Athlantem, ita & proximis temporibus Gamalielem, & Alulidem Damasci Regem. Alexandrini Ptolemæum. Hispani Alphosum Regem. Itali Numam, Cæsaresq; Dictatorem, Augustum, Antoninum, & Adrianum, pontificemq; maximum Paulum tertium: apud Germanos non solum inueniemus principes cultores eius, quæ communiter recepta est, Astronomiæ, quales audio fuisse Cæsares Carolum quintum, & Ma-

& Maximilianum secundum, à quibus modò viuens
Rodolphus non degenerat; neq; ignotæ artis fau-
tores, instauratores, & promotores Christianum
tertium, & Fridericum secundum Daniæ, & Norue-
giæ Reges, sed etiam diu olim perditæ & sepultæ il-
lius, quæ vigebat apud Chaldeos & Pythagoricos,
veritatis erutores, qualem scimus magnum in Ger-
mania Langrauium Gulielmum Hafsia, qui pro-
prij, magis quam alieni sensus & intelligentiæ oculis
non Peripateticæ exorbitantis philosophiæ cauda-
tariam cum Ptolemaicis tantum caller astronomiã;
sed & eam quæ physicè deferentes orbes, & sphæ-
ris velut affixas vel insculptas stellas non agnoscit,
& comætas nihilominus eiusdem cum cæteris stellis
substantiæ, vtpotè æternos in ætherea regione con-
sistentes, ætherem, aëremque peruadentes, sur-
sumq; deorsumq; à terra & ad terram expaciantes,
& iccirco vnum continuum cœlum, siuè aërem, siuè
æthereum campum protestantes. Siquidem astru-
tum nouæ, tum antiquæ apparentiæ alienas subire,
penetrare, & pertransire, sphæras conuincuntur. Vn-
de quis locus esse potest Chymeræ illius impenetra-
bilis, indiuisibilis, & inalterabilis quintæ essentiæ &
naturæ, illius mediij, illius mundani centri, continui
regularisq; ad Geometricã amussim circularis mo-
tus naturalium corporum, eorundemq; nulla sensu;

C 3 atq;



atq; ratione quantitatibus & ordinibus effictis, & alijs per multis hæc ipsa consequentibus, quæ hîc esset recensere superfluum, ne intelligamus discrimen inter fixos soles, et pluribus circumuagâtes rationibus Tellures quæ propriæ animæ virtute exagitate aëre penetrant immensum, nec non abhorreamus hanc Tellurem matrem nostram vnum ex astris nihilo multis circumstantibus indignius intelligere, & ea quæ mille irrefragabilibus argumentis physicè nouimus, et istius famosissimi principis obseruationibus, quæ ab alijs relata circumferuntur, etiam atq; etiam confirmata vigeant. Hîc ergò sapientia ædificauit sibi domum. Adde Iuppiter, vt cognoscant proprias vires, & abstineant, adde vt studio rebus maioribus adpellant, & non erunt homines, sed Dij. Diuinum, certè diuinissimum est illud gentis huius ingenium, quod in illis tantum studijs non antecellit, in quibus non delectatur.

At verò quis est quem silentio præteribam? Cum fortis ille armatus, clauibus & ense, fraudibus & vi, astubus & violentia, hypocrisis & ferocitate, vulpes et leo, vicarius tyranni infernalis, supersticioso cultu et ignorantia plusq; brutali, sub titulo diuinæ sapiëntiæ et simplicitatis Deo gratæ, inficeret vniuersum; et voracissimæ bestiæ non esset qui auderet aduersari et obistere contra, pro disponendo indigno

gno et perditissimo seculo ad meliorem et feliciorum
formam, atque statum, quæ reliqua Europæ et mun-
di pars protulisse potuit nobis illum Alcidem, tantò
ipso Hercule præstantiorem, quantò faciliore nego-
cio et instrumento maiora perfecit, (an non enim
etiam perfecisse dicam eum, qui tam strenuè atque
frugaliter negocium tam egregium est adorsus?)
Si quippè maius et longè perniciosius monstrum
omnibus, quæ tot ante seculis extitere peremptum
vides,

De clava noli quærere, penna fuit.

Vnde ille? vnde? ex Germania, ex ripis istius Al-
bis, ex vbertate fontis istius. Hic triplici illa thiara
insignem tricripitem illum Cerberum, ex tenebroso
eductum orco vidistis vos, & ille solem. Hic Sty-
gius ille canis coactus est aconitum euomere. Hic
vester & vestras Hercules de adamantinis inferni
portis, de ciuitate illa triplici circumdata muro, &
quam nouies Styx interfusa coereret, triumphauit.
Vidisti Luthere lucem, vidisti lucem, considerasti,
excitantem diuinum spiritum audisti, præcipienti
illi obedisti, horrendo principibus atque regibus ini-
mico inermis occurristi, verbo oppugnasti, repugna-
sti, obstitisti, restitisti, vicisti, & hostis superbissimi
spolia atque trophæum ad superos euexisti.

Hic

Hic ergo sapientia edificauit sibi domum,
hic excidit columnas septem, hic melius sacrificij
vinum miscere adorsa est, hic reformatiorem po-
suit Sacramentorum mensam. Hinc vocauit inui-
tatos ut venirent, ut venirent. Venerunt autem ex
omni gente, natione, et disciplinae Europae populo
Itali, Galli, Hispani, Lusitani, Angli, Scoti, Polarium
insularum incolae, Item, Sarmatae, Hunni, Illirici,
Scythae: ex Oriente, Meridie, Occidente, & Aquilone.

Veni inter alios ego istius domus sapientiae vi-
sendarum amore concitatus, flagrans spectandi Palladij
istius ardore, pro quo me subisse non pudet pauper-
tatem, inuidiam & odium meorum, execrationes,
ingritudines eorum quibus prodesse volui, atque
pro fui, extremae barbariei & auaritiae sordidissimae
effectus: ab ijs qui mihi amorem, seruitium, & hono-
rem debebant, conuitia calumnias, iniurias, etiam in-
famas. Neque pudet expertum esse irrisiones, con-
temptus ignobilium atque stultorum, quorundam
qui plane bestiae cum sint, cultu atque fortuna sub
imagine & similitudine hominum, temeraria super-
biunt arrogantia. Pro quo incurrisse non piget la-
bores, dolores, exilium: quia laborando profeci,
dolendo sum expertus, exulando didici: quia inue-
ni in breui labore diuturnam requiem, in leui dolore
immen-

immensum gaudium, in angusto exilio patriam amplissimam.

Ite nunc veteres philosophi, lustrate prouincias, nouos adite populos, maria transite. I nunc Pythagora ad Memphiticōs vates, Archita in oras Italiæ, Plato in Siciliam. I nunc Thianæ intra Persas, pertransi Caucasum, Scythas, Messagetas, opulentissima Indiæ regna penetra, latissimoq; Physon amne transiisso, perge ad Brachmanas, discurre per Elamitas, Babilonios, Chaldeos, Medos, Alsyrios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Palestinos, Alexandriam, & perge in Æthiopiam vt Gymnosophistas & famosissimam solis mensam videas in sabulo. Ea enim vniuersa, & ijs maiora, & maiora ijs, quæ vos in tot tantisq; mundi regionibus quæsuisistis, ego in vna Germaniæ regione inueni.

Adde, quòd cum Germanos doctrina adeò excultos inuenerim: vt etiam cognoscerem eosdem minimè omnium moribus esse barbaros & agrestes, cum ad vos pro laribus vestris pellustrandis peruenissem, natione exterus, exul, transfuga, ludicrum fortunæ, corpore pusillus, rerum possessione tenuis, favore destitutus, multitudinis odio pressus, & ideo stultis & ignobilissimis illis contemptibilis, qui nunquam nobilitatem agnoscunt, nisi vbi aurum fulget, tinnit argentum, & similibus sibi fauor tripudiat

D

pudiat

pudiat & applaudit. Vos doctissimi, grauisissimi, & morigeratissimi senatores non spreuistis, & studium meum, non à uestratum omnium studio profusum alienum, non ad eò improbastis, ut pateremini philosophicam libertatem, & uestræ humanitatis insigne specimen temerari: sed me uestræ Mineruæ, illius (inquam) uirginis uestræ matris familias amore concum, desipientemq; suscepistis, intraq; uestros late ferè biennij spacio fouistis, & Iouia quadam mentis pertulistis, & iniquis meis minimè placidas auribus porrexistis, ut tandem nihil aliud uobis esse potuerim, præterquam occasio, materia, subiectum, & obiectum, in quo specimen & diuitias uestrarum uirtutum moderantiæ, urbanitatis, & longanimitatis enuncipicaretis, & coram mundo contestaremini.

Adde, quòd cum de abscessu cogitarem, pro parte debiti mei, & officij prosequenda, ualedictionem istam intimassem: ut illum quem tot tantisque honoribus & fauoribus cumulastis, tandem etià gratiarum cataclysmo obrueretis, usq; ad eò fauore plena præsentia adstitistis, neq; sufficiebat ut ingeniosa ista pubes, cultissima iuuentus ista adisteret, scilicet & uos senatores grauisissimi, doctissimi professorum doctores celeberrimi, mundi lampades, stellæ æthereæ. Iupiter alte quas agam grates? Ubi, & uindam mihi illa mens, illa ratio, illa lingua, quæ ad hoc apta

isibuz

D

me

meos conceptus digerat & concinnet, vt eloqui pro
dignitate valeam? Agerem si possem. Sed praestat
(ô Deus) eos videre quod concupuerim, eas refer-
re quam quod audiant tam insufficienter, ineptè, &
incompositè referentem, omni facundia spiritu de-
stitutum.

Porrò, quod licere existimo, numina elemen-
torum, cœlorum, & astrorum omnium imprecabor.
Vos Sylvarum istarum (sub quarum arborum fron-
dibus toties confèdi) Nymphas, Driades, & Hama-
driades obtestor, vt quemadmodum vobis propè
adstant Numæ, Cæsares, magni duces, Marones,
atq; Tullij, ita & è gremio matris vestræ prodeât lau-
s ori, myrthi, hederæ, pampini, oleæ, palmæ. Vos nu-
mina Faunos, Satyros, atq; Syluanos imploro, ex-
colite agros, regite campos, greges & armenta fo-
cuetate, vt quemadmodum hoc solum diuinorum in-
fœgeniorum est feracissimum, ita & agris fœlicis Cam-
paniæ, campis Arabiæ fœlicis, & hortis Hesperidum
non inuideant. Vos quoq; Nymphæ istorum fon-
genium, & Nereides fluminis istius, ad cuius ripas mihi
særem caprassè licuit, adeste. In argentū vertatur ha-
bena vestra, & sabulū vestrum in glebas auri, quem-
admodum de Nilo, Euphrate, Tygri, Tago, Rho-
dano, Pado, & Tybride superbissimo triumphatis.
Tuq; sol mundi oculus, & lampas vniuersi istius, qui



vicissitudini concædis tenebrarum, reuertens, reue-
hensq; lucem, perpetuò huic patriæ fæliciores dies
mensēs, annos, & secula reporta. Tuq; Sydereum
plaustrum regens Boötes, qui oculos custodiæ tuæ
terra ista non auertis vñquam, æternè excubans, a-
bige hinc noctiuagos lupos, immites vrsos, vastato-
res leones, & cæteras hostiles Syluarum feras: &
Pater ille omnipotens, Deus Deorum, sub cuius im-
perio fortuna omnis est, & omne fatum, mea par-
ter atq; vestrum omnium (auditores celeberrimi
vota fælicia reddat & confirmet.

D I X I.

taxas
e vfa
retur
stat-

152826

ULB Halle

3


002 671 182



AB: 152826







ORATIO
VALEDICTO-
RIA

à
Iordano Bruno Nolano D.
habita,

AD AMPLISSIMOS
ET CLARISSIMOS PRO-
fessores, atq; auditores in Aca-
demia Vitebergensi.

Anno

